

II Vol LXXIX 6

De

# THEOPOMPO CHIO


Historico Græcorum

quondam celeberrimo

scripsit

Friedericus Koch

Seminarii regii, quod Berolini est quondam Sodalis, nec  
non Gymnasia Frid. Werd. Coll. extraord. nunc vero  
Scholae Senatoriae Stetinensis Corrector designatus.



---

Stetini,

Formis Effenbartianis MDCCXCII.

Viris

Summe venerandis

Io: Henr. Ludov. Meierotto,

Fried. Augusto Wolff,

Friederico Gedike,

Præceptoribus atque fautoribus

    suis

pie colendis

D.    D.    D.

Auctor.


## P r æ f a t i o.


**A**d auspicandum Conrektoratum a Senatoribus Sedinensibus atque Ephoris Scholae Senatoriae in me collatum, & ad Vale dicendum Seminario regio, in quo per plures annos, viri optime de me meriti Gedikii institutione usus sum, specimen quoddam mihi erat edendum, quo, & quae adhuc in re literaria praestiterim, quæque in posterum reipublicae sim praestitutus, publice probarem.

Trado itaque lectoribus Disquisitionem de Theopompo Chio, minime quidem omnibus jam absolutam numeris, accuratorem tamen quam adhuc fuit tentata. Fragmenta Theopompi, quorum haecenus quam plurima collegi, quorumque Collectionem Franc. Oudendor-

dendorpius jamdudum erat pollicitus, mox ipse edenda curabo, ordinabo atque explicabo ita, ut hujus tam præclari atque excellentis historici indoles ejusque virtutes clariore in luce ponantur.

Hanc vero Theopompi fragmentorum collectionem alia subsequetur, Philochori omniumque istorum historicorum fragmenta comprehendens, τῶν τὰς Ἀθιδας συγγεγραφοτῶν — Scio equidem multos vili esse pendendum arbitrari, in colligendis Veterum fragmentis collocatum studium, sed nondum sciunt isti quantos fructus totum antiquitatis studium e tali docto labore jamjam perceperit. Quid ergo ad nos istorum contemptus?





Quatenus conducatur, colligere historicorum Græcorum fragmenta!

**N**ulla facile cogitatio tanto, tamque justo mœrore afficiet quemque antiquitatis studiosum, & Græcorum literis eruditum, quam si intellexerit: tam multa atque splendida hujus in omnibus eruditionis partibus principis populi, opera, temporis injuria, plane periisse. Sentiet autem in rerum gestarum narratione maximam omnino nos passos fuisse jacturam, istisque Græcorum operibus nos destitutos esse, in quibus aut Græciae aliorumve populorum res gestae essent expositae.

Cæcutire ea de causa, in historia rerum Græcorum publicarum, vel acutissimum antiquitatis exploratorem oportet, illa Græcorum historicorum opera cum ei desint tam multa, quae a recentioribus rerum scriptoribus sæpissime citantur.

Quamquam enim multi, qui adhuc existant historici, res gestas, facta atque momenta exposuerint, tamen eorum auctoritas, atque fides historica non ita perpensa est, ut in re quavis, tuto affirmare possimus, quid certum sit nec ne. Quod quidem facili negotio fieri posset, si cuique nostrum e fontibus, e quibus illi, haurire liceret. Testimonia etiam quae a senioribus rerum scriptoribus afferuntur, ex iis sæpissime auctoribus deprompta sunt, quorum scripta periere, quorumque auctoritas nondum explorata fuit. Ablegarant enim illi suos lectores ad fontes illos e quibus se haurisse profitebantur, atque ea tantum retulerunt, quae seculi ratione habita, memoria esse digna videbantur, quæque eorum temporum facta magis magisque illustrare possent. Posteritati quidem male hac ratione fuit consultum. Cum enim auctores, quorum auctoritate freti, sequioris ætatis

tis historici facta narraverant, perierint ita, ut pauca tantum fragmenta ad nos pervenerint, multae quoque notiones, multique veterum Græcorum ritus, morum adumbrationes, quorum origines in primis tantum temporibus deprehenduntur, alta nocte involuta esse videntur. Quae cum ita sint operae mihi omnino pretium esse videbatur, colligere deperditorum historicorum fragmenta, ita tamen, ut ratio tantum præstantissimorum atque celeberrimorum habeatur. Commoda enim ex hac diligenti collectione, toti antiquitatis studio certissime expectanda, ad tria potissimum capita posunt referri.

*Primum* enim planius atque perspicue magis intelligeremus, & qua ratione, & quonam genere scribendi usi fuerint rerum scriptores.

*Deinde* omnia ea, quae ad reipublicae formam, leges atque instituta pertinerent clarius atque plenius perspicerentur.

*Denique* vero illorum quoque historicorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, fides atque

auctoritas, eorumque virtutes magis essent probatae.

Haec mecum jamdudum cogitanti, oborta est protinus cupido, eos scriptores, qui in historia scribenda excelluerunt, quorumque operum fragmentis tantum notitia ad nos pervenit, diligentius paullo cognoscendi, eorumque fragmenta colligendi. In primis vero Theopompus, a plurimis sequioris aetatis scriptoribus sapissime laudatus, doctum talem mereri laborem mihi videbatur. Tantam enim diligentiam in historia conscribenda adhibuit, ut Veterum de eo testimoniis praestantissimis atque clarissimis Græcorum historicis fuerit adnumeratus.

Quare, ea hic adferre mihi liceat, quae de Theopompi Vita, scriptis, atque fide ejus historica inveni, certe confusus me hac disquisitione favorem huic scriptori esse conciliaturum.

### Cap. I.

## Theopompi historici aetas.

**P**lures quidem fuerunt Theopompi, quorum histori-



historicus noster celeberrimus fuit. Conferendus hic omnino est Meursius ad Apollonii Dysc. histor. mir. fol. 97. ubi de variis Theopompis eorumque scripris doctè & acute satis disseruit. Laudatur enim Theopompus Comicus ab Athenæo sæpissime v. c. ed. Basil. 1530. ejus *ειρηνη* p. 183. lin. 27. *οδυσσευς* p. 83. lin. 26. *Πενελοπη* p. 92. lin. 27. — *Θησευς* 41. lin. 29. Ab eodem Athenæo, aliisque scriptoribus citatur etiam Theopompus Colophonius, qui & *εποποιος* nominatur. Tertius *Διοπομπος* vel Theopompus adfertur in Meursii Archont. Athen. lib. III. c. 2. ad O. LXXXVI. Plurâ hac de re scire cupienti adeundum est præclarum Jonfii opus de hist. philos. I. 9. 3.

Nostri vero Theopompi actas incidit in Philippi Macedonum regis tempora vid. Saxii onomast. T. I. p. 74. Fuit Dionys. Halic. teste Isocratis discipulorum celeberrimus. Cicero enim de Orat. II. 13. refert: „*Postea vero quasi ex clarissimi rhetoris officina duo præstantes ingenio Theopompus & Ephorus, ab Isocrate magistro impulsisse ad historiam contulerunt cet.*„ Acerrimo ingenio fuisse nostrum Theopompum Cicero testatus est in Bruto c. 56. Isocratem nempe dixisse:

dixisse: in acerrimo ingenio Theopompi & lenissimo Ephori alteri se calcaria, alteri frenos adhibere. Frater Theopompi fuit Caucalus Rhetor, quem Athenaeus lib. X. 204. allegat, quique ejus testimonio, *εγκωμιον Ηρακλεους* scripsisse perhibetur. Ceterum notanda sunt, quae de Historici nostri vita profert Suidas h. v.

Θεοπομπος χιος (\*) Ρητωρ υιος Δαμασιστρατου γεγονως κατα τους χρονους της αναρχιας Αθηναιων επι της 74 ολυμπιαδος, οτο και Εφορος Ισοκρατους ακυσης, αμα Εφορω εγραψεν επιτομην των Ηροδοτου ιστοριων βιβλιοις β. Φιλιππικα βιβλιοις οβ.

Commentatus est hunc suidae locum vir acuto ingenio Jonsius scriptt. hist. phil. l. supra laudato.

Quintilianus decimo Institutionum orat. lib. I. 74. refert, Theopompum priusquam ad historiam conscribendam animum appulerit diu fuisse *oratorem*. Quod quidem quam multum ad genus ejus

---

(\*) Uno quasi ore ab omnibus antiquitatis scriptoribus noster historicus, Chius nominatur, nescio autem quibus argumentis Heusingeri sententia probari possit, qua eum ad Cic. off. II. Gnidium fecit.

ejus scribendi formandum contulerit, infra videbimus. Cæterum Photius in *μυριοβιβλ.* n. 176. auctor nobis est, Theopompum juvenem cum patre Damasistrato e Chio manibus inimicorum effugisse, quia eos a partibus Lacedæmoniorum stare fama percrebuerat.

Patre autem mortuo Alexandrum Magnum fautorem nactus est, qui literis effecit, ut in patriam revocaretur, quam mox iterum relinquere coactus est, quia historiae conscribendae causa alienis rebus nimis sese immisceret, totusque in eo esset ut amicitiam maximorum suae aetatis virorum sibi conciliaret — Itinera faciens Aegyptum quoque adiit, & hanc quoque dereliquit, quia Ptolemaeus Lagi e medio eum tollere constituerat, cum *πολυπραγμων* nimis, negotiorumque ad alios pertinentium nimis curiosus esset.

## Cap. II.

### Theopompi Scripta.

Quamvis adhuc tantum fragmenta scriptorum Theopompi extant, tamen ex inscriptionibus librorum,

III.) *Τριπολιτικον* librum, quem nonnulli auctores Theopompo tribuunt, abjudicandum ipsi esse censet Joseph. cont. Ap. lib. 1. p. 459. T. 2. cf. Vosf. Hist. Græc. p. 47.

IV. *Περί των συληθέντων εκ Δελφών χρημάτων* — minus recte vertit, ut Jonsius jam vidit Vossius lib. 1. haec verba: de his qui prædati sunt delphicas pecunias, cum tamen sit, de rebus quæ sacrilegio ex Delphis surreptae sunt. cf. Athen. lib. XIII. p. 604.

V.) *Κατά της Πλατωνος διατριβης* cf. Jonsius I. 9. 4. Athen. XIII. p. 508.

VI.) *Περί ευσεβειας* scripsit Athenæo teste lib. XI. 396. cf. Scholiast. ad Aristoph. Aves. Theophrasto vero vindicandum esse, hunc librum vidit Rhunken. p. 87. cf. Diog. Laert. V. 50.

VII. *Θαυμασιὰ* s. admiranda. Collegerat enim teste Dionysio omnia *θαύματα η παραδοξα*, inde ortus videtur hic libellus, cf. Aelian. V. H. III. 19. c. not. Perizonii. Vid. Heynii notata

notata de his *θαυμασιαις* ad Virgilio Eclog. VI. in argument. edit. noviss. p. 99. Tom. I. coll. c. Strabonis lib. VII. p. 299. ed. Casaub. ejusque adnotationes.

Maximam vero gloriam omnium auctorum consensu in historia scribenda paravit sibi noster Theopompus. Præcipuis ejus historicis operibus annummeranda sunt:

A) Epitomen Historiarum Herodoti libris duobus, quod quidem opus Vosius l. l. Theopompi cujusdam junioris esse probare conatus est, parum enim verisimile esse ait, quod Suidas retulit, Ephorum atque nostrum Theopompum idem elaborasse opus, quamvis hæc epitome a Longino citetur.

B) Inprimis *ἱστοριαίς* inclaruit, Dion. enim l. l. inquit, eum memorabilem condidisse historiam eaque de causa summam meruisse laudem. Duobus comprehendebantur ejus historiae operibus. Primum enim Græcorum historiam complectebatur *τα λοιπα του Πελοποννησιακου*

*πολεμου,*

πολεμου, initio facto ubi Thucydides desit, septendecim annorum spatium duodecim libris comprehendens. Citatur hoc Theopompi opus sæpissime nomine *Ελληνικων* — Plurima, eaque non parva attulit fragmenta Athenæus p. 127. l. 7. — 136. l. 44. — 190. l. 31. — 268. l. 53. 326. l. 16. — 38. 50. etc. ad Prælium usque navale apud Cnidum commissum deducebatur hoc opus. Altero vero in opere exponebantur:

C.) *Φιλιππικα* i. e. res gestæ Philippi Macedonum regis. Eximia præstantia fuisse hanc historiam testantur multi veteres auctores, inter quos etiam Dion. Halic. Comprehendisse LVIII. libros apparet e Diod. Sic. lib. XVI. 3. quin & Photius LIII illa qua degebat ætate existisse affirmat.

Ab Athenæo allegantur plures hujus operis libri usque ad quinquagesimum tertium. Librum quinquagesimum quintum allegat etiam Stephanus voc. *Καρνα*, & *τρικαρα* — & quinquagesimum septimum in *μεσσαπειαι*. —

## Cap. III.

De Theopompi genere scribendi ejus-  
que fide atque auctoritate historica.

**A**cutissime de Theopompi genere atque ratione scribendi judicasse mihi videtur Dionys. Halic. *ἢν ἀρχαίων ἐξέτασι voc. θεοπομπός.*

Laudat. tam argumentum ipsum, quam rerum expositionem, ordinemque, quo omnia essent exposita. Cavillatur nihilo minus ipsius frequentes digressiones Dionysius quibus non satis apte & commode usus fuerit. Reprehendit idem vitium in Theopompo Polybius in excerpt. e Const. Aug. Porphyrog. Collectaneis ed. Henr. Valesius Paris. 1634. Satis longo Theopompi fragmento e Philippicis laudato, quo perstrinxisse eum amicos comitesque Philippi ob luxuriam, apparet, addit Polybius: Theopompum nimis longam vitae sodalium Philippi luxuriosae dedisse, qua omnino nauseam lectori crearet.

Theon etiam in Progymnasm. c 4. de narratione, locutus de digressionibus eorumque usu,

duplici modo peccari posse in εκβασει dicit, ου γαρ απλως χρη παρεκβασι πασιν παραιτεισθαι καθαπερ ο Φιλιςος, αναπαυει γαρ την διανοιαν των ακροατων. αλλα την τηλικαυτην το μηκος ητις απαλλοτριου την διανοιαν των ακρομενων, ωσε δειθαι παλιν υπομνησεως των προειρημενον, ως Θεοπομπος ενταις Φιλιππικαις. Fusius locutus est de his Theopompi digressionibus Baylius in Lex. not. E.

Ad stylum ejus quod attinet, oratorium eum magis quam historicum fuisse, censet & Fabius Instit. X. 1. Oratori magis in historia similis est. A gravitate atque simplicitate illum aberrasse, atque oratorias venteres eum nimis captasse, innuit Cicero Brut. c. 17. Hoc tamen seculi magis, quam ipsius vitium esse habendum censeo. Ejus temporis enim oratorium quendum numerum in historias inferre studuerunt rerum scriptores, tamen vero nostrum Theopompum in orationis floribus colligendis minime modum excessisse confirmat & Dionys. περι των Θουκιδ ιδιωμ.

Videamus nunc quid de fide ejus historica statuendum, atque auctoritati testimoniorum ab eo allatorum sit tribuendum.

Magno



Magno quodam veritatis studio ad historiam condendam se contulisse nostrum Theopompum, ex Athenæi supra laud. loc. apparet. Magnis enim sumptibus veritatem factorum, narrationum eum explorasse refert. Quid? quod omnia illa in hoc historico conjuncta quasi inveniuntur quae in genere ab historico scriptore a critico omni jure postulantur, eum nempe veritatem & dicere *voluisse*, & *potuisse*. Theopompum nostrum quoque veritatem *voluisse* tradere posteritati, ex loc. Dion. l. apparebit & eum *potuisse* elucet e loco Dionys. epist. ad Pomp. 131. l. 40. adfert enim Theopompum multorum factorum ab ipso narratorum fuisse testem, & quidem praesentem, *και προς τουτοις πολλων μεν αυτοπτης γεγενημενος, πολλοις εις ομιλιαν ελθων ανδρασι τοις τοτε πρωτευουσι και στρατηγοις, δημαγωγοις και φιλοσοφοις.* —

Nonne igitur, qui tam studiose veritatem quaesiverat, inventam posteritati nudam atque puram erat traditurus?

Acerbitatem illam atque mordacitatem, cujus eum accusarunt, *Nepos* in Alcib. qui eum maledicentissimum scriptorem nominat, *Polybius* l. 1.

in Excerpt. *Lucianus* de hist. scrib. ex ingenio ejus atque indole derivandam atque explicandam esse arbitror — Theopompus enim ut erat acri ingenio atque flagranti veritatis amore, sæpius quidem fieri potuit, ut hoc studio abreptus nimis acerbus fuerit, atque scapham scapham appellarit. Comparat Dionys. Theopompum cum medico, profundissime corruptas corporis partes urente atque secante ita tamen ut sanæ corporis partes non attingantur. Celebratam omnino hanc nostri auctoris libertatem atque licentiam in scribendo fuisse, jam inde apparet, quod Cicero hoc scribendi genus dicat Theopompinum genus, mordax nempe & acerbum, quo usus erat Theopompus cf. Epist. Cic. ad Att. XII. 6. cf. Paus. VI. p. 496. edit. 1696. Joseph contr. Ap. I. p. 459. Plutarchus Lyfandr. in fine.

Ex omnibus enim allatis testimoniis mihi nondum constare videtur Theopompum sublestæ fidei fuisse scriptorem. Quamvis enim Aelianus, historicus ille compiler III. 18. Theopompum nostrum *μυθολογον δεινον* apellet, eo tamen historici nostri fides atque auctoritas historica minime incerta atque dubia redditur. Licet & ipse Cicero  
de

de Legg. lib. 1. c. afferat, in Theopompi scriptis inesse innumeras fabulas, tamen non eo mihi spectare videtur Ciceronis sententia, nullam omnino fidem mereri narrationem Theopompi sed narrasse eum tantum fabulas, ita tamen ut fabulas non pro veritate vendidat. An rite explicuerit sensum Ciceronis cæteroquin maximus hujus auctoris interpres Ernestius dicens, Theopompum a Cicerone vocari *fabulosum*, dubito. Mitiores omnino huic voci inesse vim cuique apparebit.

Quae omnia, hætenus de Theopompo disputata, si computantur, quisque vel mediocriter doctus, poterit judicare, an hujus tam præstantis tamque laudati atque fide digni scriptoris fragmenta collectionem mereantur, quorum numerus huc illuc non parvus existat. In Scholiis ad Homerum, ad Aristophanem in Athenæo, Polybio, aliisque historicis multa hætenus sparsim existant, quae ad historiam præcipue Philippi rite perlustandam novam quasi facem præbebunt.